

Ann. X.

ROMAE, Kal. Novembribus M DCCCC VII

Num. XI.

VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italianam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA",

VARSAVIAE POLONORUM Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

LONDON W. 28, Orchard Street.

RATISBONAE in BAVARIA.

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL 1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

- Ex Germania.** — De socialistarum factione.
De re litteraria apud Subalpinos. — De historia.
Vox Urbis Palaestra. — Fragmenta Ciceroniana: De imitatione Ciceronis quid senserit Muretus.
Flores cito moriuntur....
De epistolarum diribitorii memoriae.
Leonis PP. XIII sepulcrum ad S. Ioannis in Laterano.
Philandri Bavari de aqua disputatio.
Acta Pontificia. — Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X litterae encycliche de modernistarum doctrinis: Exordium — De modernistarum agnosticismo — Ab agnosticismo ad immanentiam vitalem.
Diarium Vaticanum. — Coram SSmo admissiones. — Pontificiae electiones. — Vita functi viri clariores.
Annales: — Haganus de pace conventus alter. — Mauritana res. — Turcarum Persarumque contentiones. — Austrorum Hungarorumque trepidationes. — Ex inferiore America.
Publici per Orbem coetus legibus ferendis.
Per Orbem.
Aenigmata.

In tertia operculi pagina:

TARCISIUS - Actio dramatica I. B. FRANCESIA versibus senariis conscripta.

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGLIANI

95, Via della Pace

M DCCCC VII



T. ET G. FRATRUM PARISI
Pontificia officina Candalarum ad Sacra
Facularumque sine oleo ad noctem, decem horas ardentium.

ROMAE in ITALIA, in Foro Campi Martii, 6

Peculiaris candalarum liturgicarum fabricatio ad S. Sacrificii celebrationem - Cerei Paschales
- Lumen Christi - Cerei ad Officia Tenebrarum - Cerei ornamenti decori ad baptismata et
Sacram Synaxim primum recipiendam - Filum cera madefactum ad candelas accendendas.

Merces ad omnes orbis portus nullo impendio iubentium, ne pro colligatione quidem, mittitur.

REQUIRANTUR CATALOGUS ET PRETIA

Officinae honores concessere Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X.

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Anglica, Gallica, Theutonica, Hispanica lingua.

Sociis et lectoribus officinam hanc Candalarum ad Sacra enixe commendamus,
quae per orbem universum operis suae fructus iamiam disseminavit.

SUPELLEX AD RES DIVINAS

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite supeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, via Alessandrina, 87) mittantur, res praecise indicando, quas quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SATURIO,

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro
Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS
paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Com-
mentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO.

De claris sodalibus provinciae Taurinensis Societatis Iesu commentarii conscripti
et exornati a P. SALVATORE CASAGRANDI ex eadem provincia, ven. lib. 7
beneficio Missionum Montium Saxosorum, Californiae et Alaskae S. I., VOX URBIS
Sociis pretio lib. 4,50 conceduntur.

Qui sibi eos cupiat, ab auctore requirat Via Barbaroux, 28 — Torino.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR.
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

EX GERMANIA

De socialistarum factione

LOQUUTI in hoc commentario de Germanicis rebus, tum nimirum de eorum prosperitate, tum de catholicae partis, quae hec florescit, incremento, modo praestat factionis, catholici nominis aemulae, videre vitam, quae socialistarum est; idque eo magis quam Essen, urbs Westfalianae caput provinciae, universalem Germanorum conventum mox viderit, qui socialistis addicuntur. Regio plane ea erat, qua nulla opportunior ad talia cogenda comitia videri poterat. Ibi enim opificium agmen ingens coactum est prope ditissimas mercatorum atque argentariorum susceptorumque operum et industriarum aedes; illic novissima aetate opifices inter et patronos bellum deductum est frequentius quam in ceteris provinciis. Urbs, quae abhinc annos triginta nondum incolarum millia centum continebat, fere tercentum hodie habet. Praestant in illa civitate carbonis, ferrique, chalibisque opificia, in eiusque aedibus viri in industria artibus principes vivunt Kirdorf, Krupp, Kiss... aliique, qui ipsis saepe magistratis opibus suis longius pollut. Nihil igitur mirum, si eam ad urbem omni ex parte opificium manipuli descendunt, suaque veluti castra ponunt et muniunt. Itaque opificium vitae rationes et mores nullibi melius spectanda apparebant.

Worwärts, diarium socialistarum factionis princeps, conventus Esseniensis laudes meritas hodie recinit, tum quia disceptationes sereno animo deductae fuerint, tum quia uberem fructum eas allaturas opificibus confidit. Conventum tamen sterilem in academiam postremo evasisse patet, nihilque, aut fere, utilitatis factioni attulisse suae. Ignoscendum quidem dia-riis et ephemeredibus, quae tot illum laudibus extulere: accepta enim novissimis in comitiis clade latissima, pertimescendum iure erat, ne ira aut livor aut pudor in iurgia atque lites erumperent. Idque eo magis quia urbanitate atque humanitate dicendi et disceptandi Germanici socialistae hand optime pollut. At multa re emendata sunt atque temperata, quae superbia prius atque temeritate tumebant, ipseque disceptandi modus sedatus est optime.

Itaque Essen in urbe Orydensis conventus non licuit iurgia iterare, quae tantae offensioni populo fuerant. Ex quo immo maturior doctrina atque publicarum rerum sapientia melior socialistarum opiniones plerumque depulit, factones et sectae ipsa in acie dissidentes alia in aliam acerrime pugnarunt, ut

omnem sibi factionem manciparent. Igitur inter Bernsteinum, virum ingenio acutum et indole acerrimum, atque Bebelium, qui iamdiu factioni universae praeerat, in dies discordia crevit et odium. Dresdae autem partae modo comitiales victoriae neque moderationem neque prudentiam suaserunt, omniaque reiecta sunt, quae non omnino philosophorum novae doctrinae placitis convenienter. Sperabant igitur viri, alii satis docti, *hodiernam vivendi rationem* sese brevi eversuros; sed perduellum doctrina illa impeditabat, quominus agmina asseclarum crescerent et firmarentur. Novissima autem experientia apparuit semitam hanc falsam atque inanem habendam esse; atque Bernsteinio eiusque fautoribus nova in dies auctoritas comparata est. Haec vero magis magisque supremo tempore confirmata sunt, veterique audaciae modo successit incerta quaedam ac timida mens, qua factionis duces gravissimas plerumque quaestiones quam citius seponebant. Nullus itaque in Essensi conventu tonuit Iupiter, nullus dissidentes sententias condemnavit, relietaeque sunt opiniones et leges quae ad discordiam forte animos commovissent. De feriis kalandis Maiis celebrandis ab universa opificum multitudine, de coloniis non amplius deducendis, de exercitibus abolendis nulla disceptatio fuit, nullum latum suffragium, quia inutilia haec passim et vana omnibus ipsique Bebelio apparuerunt.

Hodiernam certe factionis rem male accidisse Bebelius aperte non declaravit, sed commendavit enixe, ut omni ausu et nisu vires et agmina sodalium multiplicantur. De foederibus vero cum proximis factionibus connectendis, id tantum cautum, ne foedera huiusmodi nimium arcta aut diurna constringerentur, ne totius factionis auctoritas apud cives ultra minueretur. Nonne id satis aperte rei statum declarat?

Duo denique nova constituta sunt, ut nimirum diaria omnia et factionis ephemeredes ab uno eoque principe loco et schola ab una dirigantur, quo fertilius agere in populum valeant, utque de tollendis ignitorum potum abusibus rogatio feratur, non abunde quidem sunt.

Ex quo optime probatum est socialistas quoque intellexisse tandem oeconomicam hanc, quam propugnant populi redemptionem, a morum ipsa emendatione derivandam primum esse et initiandam, quam quidem sententiam catholici viri, qui de populari re scripsere, iamdiu et semper professi sunt.

R. M.

DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS⁽¹⁾

DE HISTORIA

At omnium historicorum princeps apud Subalpinos facile habetur *Caesar Balbus*, Prosperi filius, antiqua eademque celebri nobilitate clarus, Augustae Taurinorum natus an. MDCC LXXXIX. Infantiam Lutetiis Parisiorum transegit, ubi pater erat regis orator. Qui, everso regno, fractisque Subalpinorum opibus, immobilis fidei exemplar, Barcinonem contendit, ibique, quum regni restituendi iam nulla spes esset, per domesticum otium in matheseos studio filium exercuit. Huic fortasse est disciplinae accepta referenda severa illa scribendi ratio, quae in posterum maxime viguit in omnibus ipsius voluminibus.

Interea quum Napoleon ad rerum gubernacula pervenisset, Subalpini, rege suo orbati, sub Gallico dominatu diu fuerunt, et exsules in patriam reversi. Tunc sub honoris speciem, quum imperator sibi optimum quemque advo- caret ad munera subeunda ex omnibus sui dominatus regionibus, et Balbus etiamtum adolescens, sed iam civili sapientia et rerum usu praeclarissimus habitus, Lutetiam Parisiorum profectus inter viros consilii regno administrando adlectus est. Mox, suadente imperatore, Romam contendit, ubi, in captivitate Pii VII Pontificis Max. Savonae, quum novus rerum ordo instauratus esset, ipse inter urbis curatores, ingemiscientibus suis fuit renuntiatus. Quod quidem decus brevi, labentibus annis, in acerbum atque insanabile vulnus conversum, aetati potius puerili est adsignandum quam mentis improbitati.

Verum, devixa iam aetate, et atroci tempore, quum Augustae Taurinorum oratores populares, de republica in urbe iterum instaurata, et factiosis rem publicam obtinentibus agerent, quum Caietam Pius IX P. M. secessisset, ipse, arrepta occasione, mira ingenii eruditione animique fortitudine, in rebelles homines erga Pontificem est acerrime insectatus, et sententiam antea sibi probatam refutavit, atque sacrum Pontificium Principatum fortissime adseruit.

Pacatis tandem rebus, Augustam Taurinorum reversus, impetrata munera vacatione, domesticum otium litterarum studio, morum suavitate, atque imprimis italicorum historia honestavit. Quod Horatius de se profitetur, nil aliud quam de Mecenate: *Prima dicte mihi, summa dicende Camoena*; iure Caesar Balbus de se dicere potuit, nil quam de Italia, de Italorum gloria et potentia scriptitasse. Certus hac ratione patriae se inservire non sibi, laetoris for-

(1) Ofr. num. sup.

tunae illecebras posthabuit, et qualem se praestare instituerat, talem se usque ad exitum servavit. Singulari industria, navus, laboris patiens, recti pervicax, officiosum se omnibus potissimum praestans vel procul a publicis negotiis. Hoc tempore labente, totus in rebus familiaribus atque studiis, nihil habuit antiquius quam Italorum memorias nocturna versare manu, versare diurna, atque identidem ingenii sui fructus in vulgus edere.

Quam autem nova tempora adventarent, quibus omnes Italiae regiones, sic a nefariis hominibus instinetae, novas quoque leges a principibus exoptarent, Balbus inter multorum impotentiam, hoc unum aiebat esse in primis postulandum, magno studio quaerendum, ut Italia sui esset iuris atque mancipii. Quo nomine id fortissime adseruit, et quod minime assequi posse plures profitebantur, libero ore Italis portendit, ut exactis externis dominatoribus, natione cooperta aerumnis atque in servilem pistillum detrusa, in unam tandem gentem foederatis regibus coalesceret. Hoc sibi unum proposuerat, ut regiones Italicae ab stirpe iam similes iisdem coniunctae pactionibus ad omnium commoditatem et gloriam, libero cursu contendenter.

Hac mente inscripsit librum percelebrem, cui est titulus: *Le speranze d'Italia*.

Nova pactio ad temporum rationem exacta, quam nomine suo atque auctoritate Carolus Albertus rex mox adprobavit, et post aliquot tempora, universae Italiae placuit, in aedibus Caesaris Balbi ab aliquo electissimis viris castae libertatis alumnis est primitus disceptata atque examinata.

Et quum primum Carolus Albertus populos in libertatem vindicavit eosque ad leges sibi condendas appellare voluit, et lectissimo cuique ex omni ordine licuit de rebus publicis suo iure sententiam proferre, Balbus inter populares oratores universalis suffragio est adlectus. Tunc ipsi regi ita se probavit, ut inter regni administratos advocatus rempublicam novo regimine primum administraverit. Mox in Austracorum castra prefectus pugnae illi interfuit, in qua Subalpini gloriose dimicarunt apud Goito, qui pagus est apud Brixiam. Sic bellica laude cum quatuor filiis civilem prudentiam cumulavit. Patiens laboris atque patriae unice devotus vel ad extremum vitae exitum, eius bono gloriaeque inserviens, operam suam rite praestitit. Numquam consilium mutavit! Generis dignitatem virtute cumulavit, atque invitum a cupiditatibus animum exhibuit.

Obiit Augustae Taur. kal. April. M DCC LIII, omnibus flebilis.

Si vero de historico sermonem facere velis, haec in primis erunt dicenda: omnia quae dicit atque in vulgus edidit eo potissimum tendere ut Italiam describeret eiusque libertatem ab externis dominatoribus adsereret. Hac nisu voluntate omnia tulit, et omni vitae tempore haec proposuit. Poene innumera sunt eius opera. Eius stilus pressus est, gravitate sententiarum clarus ac verborum celeritate; durus tamen saepe videtur atque incolitus. Ut sibi hanc scribendi formam adquireret, quam summo studio adprobabat, ad Tacitum potissimum respexit, cuins ingenium civilis prudentiae praeclarum

merito laudabat. Imo, quo melius in rem suam eius dicendi genus nervosum, argutum derivaret, optimum factu duxit huius historias italicē vertere. Quod opus, quo fortis magnique animi lectores tenentur, multis undique laudibus viri elegantiores ad caelum ferre consueverunt.

Hic vir, quem optimum undequaque dixerim, singulari consilio futura prospiciens, et erga Pontificem Romanum, quem Italiae decus atque ornamentum praedicabat, fidem saepe illustravit, moriturus est adprecatus, ut sereno ei vultu inter suos fortuna arrideret, atque in Augusta sede diu placideque populo christiano interesset.

SUBALPINUS.

VOX URbis PALAESTRA

FRAGMENTA CICERONIANA

De imitatione Ciceronis quid senserit Muretus

M. Antonius Muretus (1) de imitatione Ciceronis quid senserit haud inepte meo quidem iudicio quaesieris. Neque enim alio fonte quam ex ciceroniano puriores aquas haurire possumus latine scribentes, et haec tulliana, ut ita dicam, religio I. B. Gandini viri doctissimi, cuius interitum haud ita multis ante mensibus deflevimus, et Thoma illius Vallaurii discipulos maxime seiungit. Atque illud accedit sive in M. Tullii operibus explicandis, tradendis, sive in aemulandis exprimendisque vix quemquam fuisse Mureto nostro praestantium. Qui non iniuria ab aequalibus, in illo veteris humanitatis flore, principatum quemdam rei publicae litterarum gerere, quasi alter Cicero, habitus est (2).

At vir latinae eius aevi eloquentiae facile princeps et Ciceronis optimi maximi haud mul-

(1) M. Antonius Muretus, in pago suburbano Lemovici Mureto in Gallia natus a. M DXXVI, ab ineunte iuventute litteris tradendis operam dedit apud suos. Mox Tolosa pulsus, tum ob invenitum morum licentiam, ut quidem mihi videtur, cum praesertim ob literatorum hominum invidiam, Venetiis apud nos inde ab a. M DLIV et Pataviae summo in honore versatus est. Quem deinde Hypolitus Atestinus sive, ut aiunt, Estensis, romana purpura ornatus vir, in contubernium suum adscivit (M DLX). Itaque Romae reliquas vitae annos trivit, prius quidem in aristoteleis libris qui sunt de moribus, deinde in iure civili, tum etiam Hypolito illo Maecenate munificentissimo vita functo (M DLXXII), Gregorii XIII p. m. patrocinium nactus amplissimum, in Ciceronem, Senecae, Taciti operibus publice tradendis. Is novenno ante mortem (M DLXXXVI) inter sacri ordinis viros est relatus. Obiit a. M DLXXXV. Laudantur eius *Orationum*, voll. II; *Epistolarum*, II. IV ciceronianis stylo haud indigna; item *Variarum lectionum*, II. XIX, in quibus reconditoris eruditio aurea quedam vena est; accedit in *Aristotelis Ethicorum*, II. V amplissimi commentarii, tum etiam *Carmina graeca et latina*, *Epigrammata*, *Iulius Caesar* tragœdia, aliaque.

(2) Hinc et Franciscus Bencins, Mureti discipulus, Tullio magistrum aequiparat (*Epicedion in M. A. M.*). Idem recinunt Philippus Poelarius brugensis (*In obit. erud. orn. v. M. A. M.*), Ioh. Matthaeus Toscanus, et Pant. Theverinus; testis et Ioh. Imperialis: "M. Antonius Muretus latine orationis facultaria, tantum sibi apud omnes gratiam conciliaverat, ut eius qui quasi alter Tullius concordibus Italiae vocibus acclamaretur", (*Mus. hist.*, pag. 11); et M. Antonius Bonciarius: "Qui (Muretus) latinis graecisque literis excultissimus, cum soluta et vincta numeris oratione praestaret tam insigniter quam nequaliter, in una orationes et epistolulas edidit, utrasque post Ciceronem elegantissimas... in altero omne genus poëseos...", (*Praef. in epist. suas*, pag. 19); et Hieronymus Drenelius: "M. Antonius Muretus in re publica christiana Tullius", (*Aurif.*, p. I, c. 6); denique Christophorus Colerus: "Muretus vel perorans vel familiarius agens coram Cicerone placeat", (*Epist. de studiis polit.*, pag. 210).

tum dissimilis, tamen identidem eos qui se, ut ait, ciceronianos vocant, quemadmodum antea Erasmus, « naso suspendit aduncus ». Ut in oratione Romae habita Nonis Novembrib. a. M DLXXII, cum in eloquentiae magistri locum suffectus tusculanas disputationes tradituras esset, lepide sui temporis scriptores latinos vellicat:

« Hodie, - inquit, - ut quis vulgarice rhetorum praecepta utecumque didicit et in Ciceronis scriptis tantum posnit opera, ut, adhibito Nizolii libro, possit orationem aut epistulam scribere, cuius tum singulae voces, tum ipsa etiam structura et collocatio Ciceronem oleat, protinus magno eorum consensu, qui nihil altius aut sublimius cogitant, eloquentis nomen assumit. Ita si de quopiam istorum percunctere num Platonem, Aristotelem, Theophrastum legerit... negabit.... Certe igitur Homerum... Sophoclem, Euripidem... ceteros denique graecos et latinos poetas accurate pervolutasti. Quem tu mihi, inquit, Homerum, quem Sophoclem, quas nugas nominas?... Nimurum igitur... in illis eloquentiae luminibus Lysia, Hyperide, Andocide, Isaeo, Isocrate, Demosthene quam plurimum olei consumpsisti.... Imo, inquit, quorundam ex istis vix ipsa nomina agnosco; alias a Cicerone meo commendari memini, qui mihi solus in amoribus ac deliciis fuit, quem ego, admirabili quodam eloquentiae studio inflammatus, nunquam ex oculis, ex manibus, ex sinu deposui; cuius in scriptis ita diligens ac sollicitus fui ut quemadmodum nummi aurei aut argentei a plumbeis tinnitu ipso dignoscuntur, ita ego voces ciceronianas ab iis quae Ciceronis non sunt sono ipso discernere ac diuidicare possim. Bene sit, inquam, istis auribus tuis tam delicatis tamque eruditis; sed cur, quaeso, cum Ciceronem tanti facias, eos, quos tantopere ab eo laudari videbas, non attigisti?... Quae ista (malum) latina eloquentia est? aut quando quisquam veterum istud iter ad eloquentiam tenuit? Mihi quisquam eloquentiam vocat, cum... didiceris voculas ex Cicerone collectas coniungere et ex eis quasi tessellis ieunam ac famelicam orationem contexere, sedulo caventem ne quid dicatur quod non ante Cicero dixerit? Picarum et psittacorum ista eloquentia est... » (1).

Atque in *Variarum lectionum*, l. XV, c. I plura « de stultitia quorundam qui se ciceronianos vocant » festive ex ingenio suo ac peracute disputatur (2). Venerant ad eum nobiles aliquot germani adulescentes visendi causa, quibuscum, latino sermone, qui mos erat eius aetatis haud ille quidem plebeius, non nihil moratus est temporis. Aderat conloquentibus Darius quidam Bernardus, qui cum in barbaris, ut aiebant, hominibus miratus esset eximiam latine dicendi facultatem, facere tamen non potuit quin non nulla in eis reprehenderet parum latine dicta minimeque ciceronianana. Dixerat enim grandior ex germanis adulescentibus et « caelos » et « caelorum orbes » et « caelitus », politulo ac limatulo eius iudicio minus illa quidem incunda. Quae cum allati Ciceronis, Lucretii, Servii, Lactantii exemplis Muretus tueretur Dariusque alias se quam Tullii auctoritate moveri negaret, vetus ille suum in cice-

(1) MURETI Opp., t. I, pag. 197 ss.

(2) Ib., t. III, pag. 372 ss.

ronianos stomachum ostendere coepit pluraque sententiae suae confirmandae tuenda attulit argumenta:

« Dic - inquit - ipse in eo errore versatus sum, ut nisi qui aut Ciceronis aetate aut paulo ante vixissent aut certe illi aetati suppare fuissent non satis dignos esse arbitrarer, quorum exemplo qui latine aut scribere aut loqui vellent, niterentur, sed postea, re tota mecum accurateius considerata, visus ipsi (1) mihi sum nimio plus mihi sumere, qui de Seneca, Livio, Valerio, Celso, Quinetiliano, Columella, utroque Plinio, Tacito, Suetonio, Velleio, Q. Curtio, Laetatio aliquis eiusmodi scriptoribus, quos et ab iis ipsis temporibus, quibus Latina lingua floruisse diceretur, proprius afuisse, et suo quemque saeculo, disertissimus habitus esse constaret, temere pronuntiare anderem. Certe enim neque quisquam unquam veterum eos male latine locutos esse dixit, neque nos, tam longo intervallo, valde boni eius rei existimatores sumus. At multa simplicia vocabula, multa etiam loquendi genera in eorum libris legentur, quae apud Ciceronem et eius aequales nusquam reperias. Primum quis hoc praestare audeat? Ciceronis scriptorum vix decimam partem reliquam habemus eamque multis partibus mancam ac mutilam, multis vulneribus, multis cicatricibus deformatam: Salustii (2) vix centesimam, Varronis tandem, Catonis e tam multis voluminibus unum de re rustica commentariolum, tot historicorum, tot iurisconsultorum scripta perierunt, et ex illis fractis ac laceris, quae ad nos pervenerunt, Romani sermonis reliquiis affirmare audemus, si quid in eis non reperiatur, id apud veteres in usu non fuisse? Quanto credibilius est nova multaque inusitata nobis videri, quae si eorum libri existarent in frequentissimo usu posita fuisse constaret? Illi autem, quos stulte et arroganter, ut minus eleganter locutos, despiciere audemus, cum et bibliothecas haberent omni genere librorum instructissimas et eas diligentissime perevolutarent et acerrimo iudicio praediti essent, quis seit an ea ipsa ex vetustioribus sumiserit, quae frusta nobis aut novitatis aut peregrinitatis nomine suspecta sunt?...

» Quid quod in istis ipsis Ciceronis reliquiis multa sunt, quae semel tantum leguntur? Ergo si paulum chartae aut mus aut tinea adrosisset, aut situs et caries corrupisset, aut scintilla e lucerna in certam aliquam libri partem incidisset, hodie *pigrandi et controvertendi* verba, multaque alia istis delicatis barbara essent, quae nunc ita non refugunt, ut inculcent. Et ut magis intelligas totum hoc e stulta quodam opinione pendere, scito multos ex istis inepte fastidiosis, quibus quidquid dicunt, quod Ciceronis non sit, meros lapides loqui videntur, quibus, ut olim athletis in arenam descendebitis, circumdandae essent amphotides, quoties in publicum prodeunt, ne delicate ipsorum aures vocum non ciceronianarum ictibus contundentur, saepe esse a me magna cum voluptate delusos....

» Meministine cum vox *illistrissimus* apud istos censores in urbe ius togae tueri non poterat, sed pro peregrina habebatur? — Nec

(1) Ipse?

(2) "Sallustii, fortasse legendum."

miserae prodesse in tali tempore quibat, quod Gellius *illistrissimas orationes* et *illistrissimos philosophorum* alicubi dixisset, Itaque si quis latine loquens *cardinalem quempiam illustrissimum*, ut fit, vocaverat, in eum ὅλη τῷ μνητήρι, ut graeci dicunt, utebantur. Neque extorqueri eis poterat, ut non *maxime illustrem*, pro *illistrissimo*, dicerent, nisi, postquam ex Varrone audierunt (1) *illistrissimum quemque, ex veteribus pastorem fuisse*. Et quidem eam vocem nemo maiori eachinno excipere solitus erat, quam ille quem sui ita esse Ciceronis similem praedicavant, ut dicerent σύνῳ μὲν τὴν Δήμητραν, eique illud occinerent: οὐ πεπίστεις Ἀγαθέως ἀλλ' Ἀγαθέως καὶ εἰ. Quid cum aliquando ad me libros tum Aristotelis ad Nicomachum interpretantem venisset audissetque adfirmantem innumerabilia esse in omnibus philosophiae partibus, quae latine dici non possent ab iis qui tam severi esse vellent, egresso mihi, cum circumfusa nobis esset magna eruditiorum hominum corona, mirari se dixit, quid ita mihi videretur fieri non posse, quod iam egregie Perionius praestitisset. Credo, inquit, illum dicas, qui quod quinto quoque anno faciendum significari vellet, id *singulis quinque annis*, fieri oportere scripsit. Eum ipsum, inquam, et Ciceronis eloquentiam vide.

» Sed ut me ad propositum referam, etiam si hoc demus, novata esse multa ab iis qui post Ciceronem fuerunt, quid caussae est, cur ea reiicere debeamus? Quorsus igitur illud Horatii: (2) *Ut folia in silvis, et illud: licuit semperque licebit — signatum praesente nota producere nomen?* Nonne Cicero et multa novavit ipse et Catonem, Varronem, Brutum alias que ut idem facerent hortatus est? An fortassis personale illud privilegium fuit, ut cum Cicerone et cum iis, qui tum vivebant homines atque aevum agitabant, extinctum esse videatur? *Incomprehensibile* Ciceroni fingere licuit, quid ni aliis alia ad eundem modum postea licuerit? Equidem existimo Ciceronem, si ad Quintilianum et Plinii et Taciti tempora vitam producere potuisset et Romanam linguam multis vocibus eleganter conformatis eorum studio auctam ac locupletatam vidisset, magnam eis gratiam habiturum, atque illis vocibus cupide usursum fuisse.

» Nam istorum quidem audire est operae premium amentiam. Ad Taciti aut Suetonii voces nauseant, ipsi eas scriptis suis intexunt, quae ne in culina quidem illorum patienter audiri potuissent: Mentior, nisi tibi, cum voles, in scriptis quorundam qui huius sectae coriphaei habentur, *speculationem, ingratitudinem, contrarietatem* aliaque eiusdem generis plurima ostendero:

Sed satis est dixisse; ego pulchra poēmata pango!

Cum semel in hanc disciplinam nomen deris quocumque modo et scribas et loquare, dicas licebit:

Tαῦτης τοι γενεῆς τε καὶ αὐτοῖς εὔχομαι εἶναι....

» Quid tu igitur? inquires. Ex omnibus antiquis scriptoribus, nullo discrimine, verba quibus utare, depromes? Immo vero adhibeo iudicium, habebo delectum et, cum ex iis potissimum qui

(1) *De re rust.*, cap. 1.

(2) *Art. poet.*, v. 58-60.

antiquitatis quoque ipsi principes nisi sunt, Cicerone, Caesare, Terentio, aliis, qnamplurima sumpsero, cum orationis meae genus ad eorum exemplar quam maxime potuero, conformare, ex aliis quoque bellissimum quodque carpam et quo quisque maxime excelluisse videbitur, id imitari atque exprimere conabor, neque in iis modo quos paulo ante nominavi, sed in Tertulliano, Arnolio, Hieronymo, Augustino, Ambrosio et, quod magis mireris, Appulleio, Cassiodoro, Martiano etiam et Sidonio Apollinari multa reperiam, quibus suo loco positis oratio uberior et ornatior fiat. Tibi quoque, Dari, auctor sum ut idem facias, in primisque ut ne eorum stultitiam imiteris, qui usque eo antiquitatis studiosi sunt, ut voces quoque christiana religionis proprias refugiant et in eorum locum alias substituant, quarum nonnullae etiam impietatem olen, qui non *fidem, sed persuasionem*; non *sacramentum corporis dominici*, sed *sanctificum crustulum*; non *excommunicare*, sed *diris divovere*; non *angelos*, sed *genios*; non *baptizare*, sed *abluere* dicunt: aliaque eodem modo depravant; qui, ut opinor, nisi sibi metuerent, etiam pro Christo *Iovem optimum maximum* dicent. Est enim magis ciceronianum. Quae autem insania est cum *porricere*, cum *impetrare*, cum *tripodium solistimum*, cum *pateras* et *sympinia* legimus, notare ea tamquam dieta sapienter, quod ex auguralibus et pontificalibus libris deprompta sint; propria christiana fidei et christianorum rituum verba ut non satis latina contemnere? »

(Ad proximum numerum).

Flores cito moriuntur....

Divites pictis foliis renident

Flosculi dono charitum, iocosu

Cum sinum pandunt zephyro et decenter

Arva colorant!

At vices aevo fugiente mutant:

Protinus carpit brevis hora florem,

Quo sibi vellet redimire crines

Blanda voluptas.

Quid sua frusta rosa delicatum

Purpuræ iactat decus; atque plebem

Ceteram florum fumet arrogante

Spernere fastu?

Illa florenti sociata ramo

Inchoans rubros aperire honores,

Atque lascivam recreare odoris

Frondibus auram,

Grafiis dudum meditatur audax

Texere insertas apio coronas,

Divitum et luxu cupit invidendo

Spargere mensas.

Heu nimis vana specie superbit!

Adspicit quam sol oriens hiantem,

Occidens pronam videt immerentes

Ponere frondes.

*Splendidum rerum tenuare vultum
Fata vi certant avida impotenti:
Optima ignaris bona quaeque nobis
Invidet aetas.*

*Ergo cur fucata oculos decoris
Decipi forma patimur? quid aegras
Allicit mentes, animosque mendax
Fallit imago?*

*Heu tuis frustra illecebris, iuventus,
Credis imprudens: caput impedita
Flore quid gaudes pede dissoluto
Pellere terram?*

*Antequam laetum tenuetur aevum,
Asperum discas metuisse fatum,
Iam satis docta arbitrio potentis
Floris iniquo.*

Ex scriptis H. Nozzil S. I. (1)

DE EPISTOLARUM DIRIBITORIIS MEMORIAE

AROMANI Imperii occasu diuturnum per tempus ad barbarorum usque ditionem quum divinae omnes humanaeque res funditus commiserentur atque perturbarentur, nulla epistolis diribendis publici magistratus vel ministri, neque per Italos, neque alibi per orbem fuere. Epistolarum enim commercium pacifica omnino humanarum gentium communione eget ut floreat et multiplicetur. Neque aptas publicae eius gestioni fas est condere leges, antequam singulorum commoda et negotia legibus communita sint tutaque ratione existant.

Verum ex quo primum Carolus Magnus Imperator perturbatas undique res componere et redintegrare legibus et armis est orsus, epistolis quoque diribendis tutas facere vias primus instituit. Certum est tamen, exacto anno illo tetro post Chr. natum millesimo, rem undique melius esse dispositam. Universalis enim caedis abacto metu, omnibus modis cives contenderunt, ut negotiorum suorum communionem utique multiplicarent. Viatores itaque mercatoresque, atque ii potissimum, qui tunc temporis, pia relligione moti, ad sancta ubique gentium loca peregrinabantur, privatorum vel sodalitorum epistolas hue vel illuc deferre instituerant. Optimates vero fere omnes atque sodalitia opibus ditiora nuncios sibi delegerunt atque stipendio constituere, quorum brevi exemplum tum abbates, tum episcopi certatim sequuntur.

Arduum sane opus erat, at magis arduum in dies fiebat, quo dissita magis loca essent, vel quo aerius bellorum ignis flagraret. Quia vero fideles invenisse nuncios non facile erat, reliquias ipsi sodales, qui quaeritandae stipe-

(1) Henricus Nozzius, elegans quidem recentioris aetatis latinus poeta, quamquam non ut pro meritis notus, natus est prid. kal. Decembr. an. M DCC VIII Urbiventi, quod est oppidum Etruriae ad lacum Volsiniensem. In Iesu Societatem etiam adolescens cooptatus, Augustae Taurinorum, Ferrariae, Tolosae in Galliis, Romae aliisque in locis rhetoris magisterium summa cum laude tenuit. Immatura morte absunimus, Venetiis decessit prid. Non. Aug. M DCC LVII.

cumibant, tale plerumque ministerium admiscebant.

Medio vero saeculo XII, conditis multas per urbes, ut Bononiae, Lutetiae Parisiorum, Neapolitana litterarum athenaeis, nunciis delecti sunt, qui humanissimum illud artium bonarum commercium tum inter unam vel alteram academiam, tum inter iuvenes studiis operam dantes eorumque parentes aut cognatos epistolas deferrent. Qui plane nunciis adeo fideliter suo ministerio satisfacere visi sunt, ut publicis praemiiis ab ipsis magistratibus brevi cumularentur atque publicis quoque epistolis diribendis diligenterentur. Nam Fridericus ipse cognomine Aenobarbus, quo imperante Bononiense athenaeum est inauguratum, decretum anno MCLVIII edebat, cuius vi non solum quisque regionem suam studiorum causa esset relicturus, tutum per urbes omnes haberet iter; sed idem privilegium nunciis eorum et legatis extensum voluit.

Huiusmodi igitur commercia multiplicata sunt in dies magis, nec epistolarum tantum, sed etiam pecuniae, supellectilium atque saepe, adhibitis curribus et equis, impedimentorum et civium. Simile ministerium saepe quoque exercebant pecudum ductores, qui huc vel illuc ad ferias vel ad nundinas discurrebant. Quinimo, quum haec plerumque itinera certis semper in hebdomada diebus ab una ad alteram urbem fieri solerent, mactatorum hoc ministerium epistolare respublica ipsa sibi tandem suscepit et stipendio habuit ut civibus utilitati perspicere, usque ad exitum saeculi XVII. Vigebat autem iam a saeculo XIII in Germania epistolarium diribitorum ab equitibus ordinum relligiosorum ex una in alteram ordinis sui domum expletum, ut pariter monachi cavebant, qui ab una ad alteram abbatiam circumibant; iuniores equites nunciis deferendis destinabantur. Citissimum ministerium eorum erat, sed pretium quoque litteris diribendis satis grave; nam epistola Romam nisi decem marks solutis hand deferebatur.

Sed iam extra Europae fines diribitoria litterarum paulatim multiplicabantur, ut, exempli gratia, in Araba Bagdad regis ditione, quae anno circiter millesimo p. C. n. a Persis usque Aegyptios attingebat. Pedites illic erant equitesque selecti, qui per vias imperii certis stationibus manebant, atque invicem sibi epistolarum sacculos tradebant ab una in alteram usque urbem. Universae rei publici magistratus erant praefecti, quumque optimum undique hoc tanti ministerii exercitium videretur, eversa licet illorum regum potentia, quod ipsi tamen de re statuerant integrum mansit.

Publici vero diribitorii initium in Europa tunc potissimum repetendum est, quum Franciscus Thurn Taxis, origine Bergomensis, a Maximiliano Caesare privilegium gerendi epistolaris commercii obtinuit a Vindobona ad Bruxellas urbes, anno M D XVI. Vir quidem ingenio alacris et magna praeditus audacia, deducendis brevi per omnem Europam epistolaris itineribus admovit animum, latissimum augendis divitiis ambitum iure sibi patere existimans. Inter varias igitur Europae nationes itinera et epistolarum commercia comunicaturum sese Franciscus constituit, atque rei moderator summus in Belgis delectus, primum Bruxellis usque

Parisios, mox Vindobona Romam, per Alpium vias, iter apernit, deinde Vindobona ad multas alias Germaniae urbes; quumque ubique gentium susceptum ministerium plenissime admisbleretur, omnes late reges Franciscum rogabant, suas ut per terras similes viae lustrarentur. Anno itaque M DXXXVI moderator epistolis diribendis per Austrorum omne imperium est constitutus Leonardus Thurn Taxis, qui ei successit in inceptu Lamoralius von Taxis, primum comes, deinde Imperii princeps creatus est. Idque tam optimo iure factum tunc videbatur, ut Franciscus Moser iurisperitus, tunc temporis clarissimus, scribere non dubitaverit diribendarum epistolarum industria a Francisco illo inventam cum Christophori Columbi gloria, qui Americam invenit, merito posse comparari.

At familiae fortuna longe felicior quam Columbi evasit. Quum enim omnes Germanici Imperii Caesares ab ipso sua epistolaria negotia geri petiissent, factum est plane ut Germania omnis et Austria, Belgarum regio septemtrionalisque Italiae, Galliae Iberiaeque provinciae curribus et equis eius quasi sub ditione persularentur passim. Quamobrem quum placuit regibus ministerium illud late ingens suum facere, incredibili pecuniae vi illud eruere coacti sunt; nec ubique id fieri per Germanos potuit, nisi anno M DCC LXVI.

LEONIS PP. XIII SEPULCRUM

AD S. IOANNIS IN LATERANO

UT Innocentii III sepulcrum Laterana in basilia nitens, illius inquam Pontificis, cui datum est Franciscum Asisiensem videre Lateranas sustinentem aedes, docet omnes, XIII labente saeculo cives totius orbis Romanam convertisse oculos, unde iuris late conculeati restitutionem sperarent; ita geminus, qui nunc ibi spectatur, Leonis XIII sarcophagus, quanta ille pro hodierna humanitate operatus sit loquitur.

Qui postquam Encyclicis litteris iisque doctissimis de religione, de republica ac de humana felicitate provehenda iuxta Evangelii pracepta sapientissima monita tradiderat, XX ineunte saeculo, indicto iubilari anno, omnes ad se populos, qui Christum venerantur, devinxit arctius, eorumque sibi principes allexit magis, qui iam tot eum donis quinquagesimo Sacerdotii anno cumulaverant.

Iubilaris autem anni institutio prima ipsa in Lateranensi archibasilica commemoratur, ubi Bonifacii VIII Pontificis exstat effigies, quam Giottus ibi pictor expressit, dum iubilarem annum MCCC promulgat. Prope Leonis autem sepulcrum aenea crux deaurata muro est deficta, quam Romanae patriciae gentes, hac ibi inscriptione, anno MCM posuere « suis posteris haereditatem integrae testimonium Fidei perpetuo servandae ».

Ceterum in Leonis XIII sepulcro ea rutilat gloria princeps, qua meruit Ille opificum Pater vocari: cuius rei exstat, etiam prope lateranensem basilicam marmoreum signum die Iosepho Sancto, Deiparae Sponso, sacra, anno Pii X primo inauguratum.

Monumento erendo Purpurati Patres a Pontifice creati praefuerunt, qui rem Iulio Tadolinio sculptori commiserunt. Pulcrum quidem opus hic fecit, arte docta eaque lectissima simul et ampla, Berniniani opus ad instar, sed culpis expers, quibus saepe Berninii monumenta redundant.

In areu positum est ad cornu evangelii supra sacrarii ostio, instaurationemque totius absidis complet, quam Leo ipse tanta munificentia perfecit.

Subest monumento basis ex lapide Numidico, quae portam sacrarii cingit. Eam super viridis marmoris urna eminet, aeneis decora ornamentis; hinc inde albo marmore insculpta sunt signa duo, quorum unum Ecclesiam Dei effingit mulieris ad instar funereis induitae vestibus, quae lauro magnos cineres donat; inde vir genua flectit et orat et rosarium gestat, peregrinantem veste indutus. Opifex hic est, Romam peregrinus, et rosarii laudes significat, quas tamdiu Leo conseruit.

Super tumulo, Leonis stat signum dextera benedicentis. Insigne hoc artis opus: viva facies, motus corporis ipse est, qualis quum, Vaticanum per templum circumductus subsellioque innixus collectis ibi turbis benedicebat.

Sed partes quoque singulae lectissime insculptae sunt et diligentissime, eminetque in singulis artificis peritia. Pluvialis penula dives et acu picta mire effingitur, implicatur et cadit; pariter et indusium complicatum totum insculptum est, et quae illud ornant perforatae gonae atque taeniae mira arte reditiae, nec cingulus atque stola minus perfecte.

Sed caput prae omnibus veritate et vi insigne, et manus senis, tenues quidem et mobiles fere videntur et vivae, ipsosque oculos, sub thiaram, micare diceret adhuc.

Nec magis lectum, nec verum magis, aut elegans quidquam insculpi poterat, quam haec Pontificis effigies.

Tituli subsunt huiusmodi: *Leoni XIII Cardinales ab eo creati; sub Ecclesiae immagine; Ecclesia ingemuit — complorante orbe universo; sub opificis pedes: Ad Patrem filii — ex omni regione — veneraturi conveniunt.*

Integrum artis opus, pulcherrimum; signa, colores, marmores loquuntur simul et dicunt quantum fuerit et qualis vir mente magnus, aetate et virtute venerandus, cuius gelida ossa claudent.

PHILANDRI BAVARI DE AQUA DISPUTATIO⁽¹⁾

De fluminibus autem panca audite. Quae cum primum ex montibus decidunt, magno propriuntur impetu; postea mitiores fluunt et graviores in campo aperto, vix utram in partem ferantur videatis, ad ostium. Haec de currentis aquae vis sibi erosit alveos, in quibus nunc ad mare ducitur, quae, quod eo

tempestatum appulsus, in alto caelo multo saevior, quam in cunctis vallibus, friat saxa, quae, si sunt rimosae, quod ardoris diurni immissio incredibilis efficit, iemali glacie rumpuntur. Aqua enim, cum calore adeo privatur, ut nullus iam gradus reliquo sit, in glaciem transmutatur. Sed mirum ad modum est sapientissimi rerum gubernatoris institutum, quod, quoniam omnium corporum forma compactior pondus augeat, solius aquae diminuit. O felicem hominum fortunam! Quod ita nisi esset, simulatque glaciale crastam frigora iecissent in stagna, in flumina, in vasa, ad infimum fundum ferrentur, dum omnis aqua rigeret, omni prorsus motu careret. Ita sane piscium genus emoreretur in regionibus polis propinquioribus. At aquae supernatant glacies, calorem piscibus necessarium reservat, adolescentulis in ea perlabantibus et ludentibus hibernum tempus reddit iucundissimum, quod commemo rari vobis non debet. Quum ergo in glaciem aqua convertitur, dilatatur, maius spatium occupat, tanta que vi alia corpora dissociat, ut ne ferro quidem satis includatur. Propterea franguntur aquaeductus tubi male tecti, et ponite lagena aquae plenam clausamque subere in frigoribus: iam testas recipietis. In montium autem fissuras pluvia aqua intrat geluque postea extensa saxa abrum pit, quae, cum fragore magno devolvuntur, convellunt, comprimunt, conterrunt quidquid cursui sese opponit, neque tam raro hunc in modum montana oppida diruta accepimus.

Sed si summos ascendimus in montes, eo ali-

quando venimus, ubi aeternae nives vitae vestigia omnia tollunt. Idecirco maiores nostri in istas regiones progredi non audebant. Aequales autem nostri, qui omnes mundi angulos perscrutantur, novis machinis ingenio atque arte constructis, multum in ea re consequuntur. Nostri ergo temporis est, quod de istis nivibus cognitum est. Is ergo, qui in Alpes ascendit duo metrum millia, nivium finibus adpropinquat, id est eo, ubi nunquam solvuntur. Similis autem omnium altorum montium ratio est. Quantum proinde montem niveum putatis superstrui Alpibus, quum nova semper multitudo adcumuletur? At sol impedimento est, quod superiores stratas saepe tabefacit. Ea autem aqua, quae hoc modo orta est, penetrat in imas partes, ubi gelu glaciat molemque totam confirmat. Haec suopte pondere sen-



Leonis XIII sepulcrum in Laterano.

sequebatur, quo mollissimum faciebat materia accessum, plerumque a recta via longe aberravit. Quid? Valles excavabat undae impetus, etsi per longis temporis intervallis, neque ea, quam nunc tenet, sempiterna erit fluminibus via. Subluit nunc quoque ripas, terram abripit, lapides vi sua propulsos perpetuoque tritu laevigatos in alia loca transportat. Crassiore dicit in montibus materiam, tenuorem in planicie, et quum iam adeo fracta est vehementia, ut ad provehendum satis non sit, in medio alveo relinquat. Inde hoc est consequens, ut non longe a mari flumen fundi luto sint operi, tum, ad caput versus, arena atque ruderibus, denique lapidibus.

Iam ad montes veniam, qui pedetentim aqua exeduntur, ut iam dixi. Porro omnium

(1) Cfr. num. super.

sim serpit — modo quinquagena, modo deceona quinquagena in anno metra — ad nivium fines, ubi in aquam soluta in campos desilit. In delabentem autem glaciem ex saxis utrimque irruunt lapides tempestate soluti, certoque in ea se collocant ordine. Isti ordines « muraenae » dicuntur, quod est piscium genus ut scitis, enī illi ordines similitudinem aliquam prae se ferunt, unde hoc eis nomen inditum fuisse suspicor. Campi autem glaciales nequaquam plani sunt, sed fissi quam maxime. Nam saepe infunduntur in aperiōra loca, saepe in latiores valles, quas, dum eadem, quam afferunt nivium copia, explent, franguntur. Propterea multae patent in ista glacie rimae, id quod exploratoribus summa inferre solet pericula, qui vix tuto pedem ponere possint, et quum in istas foveas inciderint, soli aegre excedunt.

Haec quum perorassem: — Superest, — inquam, — ut de mari, quo omnia flumina colliguntur, dicam. Sed quia perquam est multum subtiliusque, quam quae reddidi, ea pars est illustranda, quod quidem maius tempus requirit, quam quod reliquum esse video. Nunc animos omnino relaxemus, ut eras, si sudum erit, coptae materiae ultimam manum imponamus.

Quod, quum plauisset, sese illi delectatos admodum fuisse affirmabant atque dolere, quod tam eito sol occidisset, et quod non potuissem planiore de illis rebus sermonem contexere.

Quibus ego: — Hoe, — inquam — fuit quasi quoddam compendium, quid physici de aqua dicant, ut videatis, quanta sit copia. De singularis autem partibus longiore, si desideratis disputationem, alio die quaeratis.

Tum quasi uno ore: — Id nos profecto.

Et Laurentius: — De mari cras te audiemus; tum de terrae perfectione et eo igni, quem dicas in ea inclusum, tum de elementis.

— Obsequar ego, — inquam, — studiis vestris laudabilissimis, quantumcumque per me fieri poterit. Et quid videtur vobis de aqua vel maxime dicendum, non quidem a physicis, sed a nobis ipsis? Nonne illud; quum aqua esset in capita nostra effusa caelestes cives facti sumus?

Tum discessimus. Gratus illo die somnus me mature opprescit.

ACTA PONTIFICIA

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X litterae encycliae de modernistarum doctrinis.

Ad Patriarchas primates, Archiepiscopos, Episcopos aliasque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes Pius Papa X.

Venerabiles Fratres salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Pascendi dominici gregis mandatum Nobis divinitus officium id munus in primis a Christo assignatum habet, ut traditae sanctae fidei depositum vigilantissime custodiat, repudiatis profanis vocum novitatibus atque oppositionibus falsi nominis scientiae. Quae quidem supremi providentia pastoris nullo plane non tempore catholico agminī necessaria fuit: etenim, auctore humani generis hoste, nunquam de-

fuere viri loquentes perversa (1), vaniloqui et seductores (2), errantes et in errorem mittentes (3). Verumtamen inimicorum crucis Christi, postrema hac aetate, numerum crevisse admodum fatendum est; qui, artibus omnino novis astutus plenis, vitalem Ecclesiae vim elidere, ipsumque, si queant, Christi regnum evertere funditus nituntur. Quare silere Nobis diutius hand licet, ne muneri sanctissimo deesse videamur, et benignitas, qua, spe sanioris consilii, hoc usque usi sumus, officii oblivio reputetur.

Qua in re ut moram ne interponamus illud in primis exigit, quod fautores errorum iam non inter apertos hostes querendi sunt modo; verum, quod dolendum maxime verendumque est, in ipso latent sinu gremioque Ecclesiae, eo sane nocentiores, quo minus perspicui. — Loquimur, Venerabiles Fratres, de multis e catholicorum laicorum numero, quin, quod longe miserabilius, ex ipso sacerdotum coetu, qui, fucoso quodam Ecclesiae amore, nullo solidō philosophiae ac theologiae praesidio, immo adeo venenatis imbuti penitus doctrinis quae ab Ecclesiae osoribus traduntur, Ecclesiae eiusdem renovatores, omni posthabita modestia animi, se iactitant; factaque audacius agmine, quidquid sanctius est in Christi opere impetunt, ipsa haud incolumi divini Reparatoris persona, quam, ansiu sacrilego, ad purum putumque hominem extenuant.

Homines huiusmodi Ecclesiae Nos hostibus adscribere, etsi mirantur ipsi, nemo tamen mirabitur iure, qui, mente animi seposita, cuius penes Deum arbitrium est, illorum doctrinas et loquendi agendique rationes cognorit. Enim vero non is a veritate discedat, qui eos Ecclesiae adversarios quovis alio perniciosiores habeat. — Nam non hi extra Ecclesiam, sed intra, ut diximus, de illius pernicie consilia agitant sua: quamobrem in ipsis fere Ecclesiae venis atque in visceribus periculum residet, eo securiore damno, quo illi intimius Ecclesiam norunt. Adde quod securum non ad ramos surculosque ponunt; sed ad radice ipsum, fidem nimurum fideique fibras altissimas. Icta autem radice hac immortalitatis, virus per omnem arborem sic propagare pergit, ut catholicae veritatis nulla sit pars unde manus abstineant, nulla quam corrumpere non elaborent. Porro, mille nocendi artes dum adhibent, nihil illis callidius, nihil insidiosius: nam et rationalist et catholicum promiscue agunt, idque adeo simulatissime, ut incautum quemque facile in errorem pertrahant; cumque temeritate maxime valeant, nullum est consecutionum genus quod horreant aut non obfirmate secureque obtrudant. Accedit praeterea in illis aptissime ad fallendos animos, genus vitae cummaxime actuosum, assidua ac vehemens ad omnem eruditionem occupatio, moribus plerumque austerioris quae sit laus. Demum, quod fere medicinae fiduciam tollit, disciplinis ipsi suis sic animo sunt comparati, ut dominationem omnem spernant nullaque recipiant frena; et freti mendaci quadam conscientia animi, nituntur veritatis studio tribuere quod uni reapse superbiae ac pervicaciae tribendum est. — Evidem speravimus huiusmodi quandoque homines ad meliora revocare: quo in genere suavitate primum tamquam cum filiis, tum vero severitate, demum, quamquam inviti, animadversione publica usi sumus. Nostis tamen, Venerabiles Fratres, quam haec fecerimus inaniter: cervicem, ad horam deflexam, mox extulerunt superbius. Iam si illorum solummodo res ageretur, dissimilare forsitan possemus: sed catholici nominis e contra securitas agitur. Quapropter silentium, quod habere diutius piaculum foret, intercipere necesse est; ut personatos male homines, quales reapse sunt, universae Ecclesiae demonstremus.

Quia vero modernistarum (sic enim iure in vulgo audiunt) callidissimum artificium est, et doctrin-

nas suas non ordine digestas proponant atque in unum collectas, sed sparsas veluti atque invicem se iunctas, ut nimis anicipites et quasi vagi videantur, cum e contra firmi sint et constantes; praestat, Venerabiles Fratres, doctrinas easdem uno heic conspectu exhibere primum, nemusque indicare quo invicem coalesceant, ut deinde errorum causas scrutemur, ac remedia ad averruncandam perniciem praescribamus.

De modernistarum agnosticismo.

Ut autem in abstrusiore re ordinatim procedamus, illud ante omnia notandum est, modernistarum quemlibet plures agere personas ac veluti in se commissere; philosophum nimurum, credentem, theologum, historicum, criticum, apologetam, instauratorem: quas singulatim omnes distinguere oportet, qui eorum systema rite cognoscere et doctrinarum antecessiones consequentiasque pervidere velit.

Iam, ut a philosopho exordiamur. philosophiae reliquias fundamentum in doctrina illa modernistarum ponunt, quam vulgo agnosticismum vocant. Vi huins humana ratio *phaenomenis* omnino includitur, rebus videlicet quae apparent eaque specie qua apparent: earnumdem praetergredi terminos nec ius nec potestatē habet. Quare nec ad Deum se erigere potis est, nec illius existentiam, ut per ea quae videntur, agnoscer. Hinc infertur, Deum scientiae obiectum directe nullatenus esse posse; ad historiam vero quod attinet, Deum subiectum historicum minime censendum esse. — His autem positis, quid de *naturali theologia*, quid de *motivis credibilitatis*, quid de *externa revelatione* fiat, facile quisque perspiciet. Ea nempe modernistarum penitus e medio tollunt, et ad *intellectualismum* amendant; ridendum, inquietum, sistema ac iamdiu emortuum. Neque illos plane retinet quod eiusmodi errorum portenta apertissime damnari Ecclesia: siquidem Vaticana Synodus sanciebat: *Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, anathema sit* (1); itemque: *Si quis dixerit fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur, anathema sit* (2); ac demum: *Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, anathema sit* (3). Qua vero ratione ex agnosticismo, qui solum est in ignoratione, ad *atheismum* scientificum atque historicum modernistarum transeant, qui contra totus est in inficiatione positus: quo idcirco ratiocinationis iure, ex eo quod ignoretur utrum humanarum gentium historiae intervenerit Deus necne, fiat gressus ad eamdem historiam neglecto omnino Deo explicandam, ac si reapse non intervenerit; novit plane qui possit. Id tamen ratum ipsis fixumque est, atheam debere esse scientiam itemque historiam; in quarum finibus non nisi *phaenomenis* possit esse locus, exturbato penitus Deo et quidquid divinum est. — Qua ex doctrina absurdissima quid de sanctissima Christi persona, quid de Ipsius vitae mortisque mysteriis, quid pariter de anastasi deque in caelum ascensi tenendum sit, mox plane videbimus.

Ab agnosticismo ad immanentiam vitalem.

Hic tamen agnosticismus, in disciplina modernistarum, non nisi ut pars negans habenda est; positiva, ut aiunt, in *imminentia vitali* constituitur. Harum nempe ad aliam ex altera sic procedunt. — Religio, sive ea naturalis est sive supra naturam, ceu quolibet factum, explicationum aliquam admittat oportet. Explicatio autem, naturali theologia deleta adi-

(1) *De Revel. Can. I.*

(2) *Ibid. can. II.*

(3) *De Fide can. III.*

tuque ad revelationem ob reiecta credibilitatis argumenta intercluso, immo etiam revelatione qualibet externa penitus sublata, extra hominem inquiritur frustra. Est igitur in ipso homine quaerenda: et quoniam religio vitae quaedam est forma, in vita omnino hominis reperienda est. Ex hoc *immanentiae religiosae* principium asseritur. Vitalis porro cuiuscumque phaenomeni, cuiusmodi religionem esse iam dictum est, prima veluti motio ex indigentia quamplam seu impulsione est repetenda: primordia vero, si de vita pressius loquamur, ponenda sunt in motu quadam cordis, qui *sensus* dicitur. Eam ob rem, cum religionis obiectum sit Deus, concludendum omnino est, fidem, quae initium est ac fundamentum eiusvis religionis, in sensu quadam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oriatur. Haec porro divini indigentia, quia nonnisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ac conscientiae ambitum ex se non potest; latet autem primo infra conscientiam, seu, ut mutuato vocabulo a moderna philosophia loquuntur, in *subconscientia*, ubi etiam illius radix occulta manet atque indeprehensa. — Petet quis forsan, haec divini indigentia, quam homo in se ipse percipiat, quo demum pacto in religionem evadat. Ad haec modernistae: Scientia atque historia, inquiunt, duplice includuntur termino; altero externo, aspectabili nimirum mundo, altero interno, qui est conscientia. Alterutrum ubi attigerint, ultra quo procedant non habent: hos enim praeter fines adest *incognoscibile*. Coram hoc *incognoscibili*, sive illud sit extra hominem ultraque aspectabilem naturam rerum, sive intus in *subconscientia* lateat, indigentia divini in animo ad religionem prono, nullo, secundum *fideismi* scita, praeverente mentis iudicio, peculiarem quemdam commovet *sensus*: hic vero divinam ipsam *realitatem*, tum tamquam obiectum tum tamquam sui causam intimam, in se implicatam habet atque hominem quodammodo cum Deo coniungit. Est porro hic *sensus* quem modernistae fidei nomine appellant, estque illis religionis initium.

Sed non hic philosophandi, seu rectius delirandi, finis. In eiusmodi sensu modernistae non fidem tantum reperiunt; sed, cum fide inque ipsa fide, prout illam intelligent, *revelationi* locum esse affirmant. Enimvero ecquid amplius ad revelationem quis postulet? An non revelationem dicemus, aut saltem revelationis exordium, *sensum* illum religiosum in conscientia apparentem, quin et Deum ipsum, etsi confusius, sese, in eodem religioso *sensu*, animis manifestantem? Subdunt vero: cum fidei Deus obiectum sit aequa et causa, revelatio illa et de Deo pariter ed a Deo est; habet Deum videlicet revealantem simul ac revealatum. Hinc autem, Venerabiles Fratres, affirmatio illa modernistarum perabsurda, qua religio quaelibet, pro diverso aspectu, naturalis una ac supernaturalis dicenda est. Hic conscientiae ac revelationis promisea significatio, Hinc lex, qua *conscientia religiosa* ut regula universalis traditur, cum revelatione penitus aequanda, cui subesse omnes oporteat, supremam etiam in Ecclesia potestatem, sive haec doceat sive de sacris disciplinave statuat.

Attamen in toto hoc processu, unde, ex modernistarum sententia, fides ac revelatio prodeunt, unum est magnopere attendendum, non exigui quidem momenti ob consequentes historico-criticas, quas inde illi eruunt. — Nam *Incognoscibile*, de quo loquuntur, non se fidei sistit ut nudum quid aut singulare; sed contra in phaenomeno aliquo arte inhaerens, quod, quamvis ad campum scientiae aut historiae pertinet, ratione tamen aliqua praetergreditur; sive hoc phaenomenon sit factum aliquod naturae, arcani quidpiam in se continens, sive sit quivis unus ex hominibus, cuius ingenium acta verba cum ordinariis historiae legibus componi haud posse videntur. Tum vero fides, ab *Incognoscibili* allecta quod cum phaenomeno jungitur, totum ipsum phaenomenon complectitur ac

sua vita quodammodo permeat. Ex hoc autem duo consequuntur. Primum, quaedam phaenomeni *transfiguratio*, per elationem scilicet supra veras illius conditioes, qua aptior fiat materia ad induendam divini formam, quam fides est inducitur. Secundum, phaenomeni eiusdem aliquapiam, sic vocare liceat, *desfiguratio* inde nata, quod fides illi, loci temporisque adiunctis exempto, tribuit quae reapse non habet: quod usuvenit praecipue, quum de phaenomenis agitur exacti temporis, eoque amplius quo sunt vetustiora. Ex gemino hoc capite binos iterum modernistae eruunt canones; qui, alteri additi iam ex agnosticismo habito, criticis historicae fundamenta constitunt. Exemplo res illustrabitur; sitque illud e Christi persona petitum. In persona Christi, aiunt, scientia atque historia nil praeter hominem offendunt. Ergo, vi primi canonis ex agnosticismo deducti, ex eius historia quidquid divinum redollet delendum est. Porro, vi alterius canonis, Christi persona historica *transfigurata* est a fide: ergo subducendum ab ea quidquid ipsam evehit supra conditiones historicas. Demum, vi tertii canonis, eadem persona Christi a fide *desfigurata* est: ergo removenda sunt ab illa sermones, acta; quidquid uno verbo, ingenio, statui, educationi eius, loco ac tempori quibus vixit, minime respondet.

Mira equidem ratiocinandi ratio: sed haec modernistarum critique.

Religiosus igitur *sensus*, qui per *vitalem immanentiam* e latebris *subconscientiae* erumpit, germen est totius religionis ac ratio pariter omnium, quae in religione quavis fuere aut sunt futura. Rudis quidem initio ac fere informis, eiusmodi *sensus*, paullatim atque influxu arcani illius principii unde ortum habuit, adolevit una cum progressu humanae vitae, cuius, ut diximus, quaedam est forma. Habemus igitur religionis eiuslibet, etsi supernaturalis, originem: sunt nempe illae *religiosi sensus* merae explicationes. Nec quis catholicam exceptam putet; immo vero ceteris omnino parem: nam ea in conscientia Christi, electissimae naturae viri, cuiusmodi nemo unus fuit nec erit, *vitalis* processu *immanentiae*, non aliter, nata est. — Stupent profecto, qui haec audiant, tantum ad asserendum audaciam, tantum sacrilegium! Attamen, Venerabiles Fratres, non haec sunt solum ab incredulis effutta temere. Catholici homines, immo vero e sacerdotibus plures, haec palam edisserunt: talibusque deliramentis Ecclesiam se instauratos iactant! Non heic iam de veteri errore agitur, quo naturae humanae supernaturalis ordinis veluti ius tribuebatur. Longius admodum processum est: ut nempe sanctissima religio nostra, in homine Christo aequa ac in nobis, a natura, ex se suaque sponte, edita affirmetur. Hoc autem nil profecto aptius ad omnem supernaturalem ordinem abolendum. Quare a Vaticana Synodo iure summo sancitum fuit: *Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem quae naturalem supererit, divinitus evehit non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugis profectu pertingere posse et debere, anathema sit* (1).

(Ad proximum numerum).

DIARIUM VATICANUM

(Die xxI mens. Sept. - d. xx mens. Oct. M DCCC VII)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites, aliosque viros, qui sui quisque muneric gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Franciscus Rossi Stocklper, a secretis Apostolicae legationis Vindobonae; Carolus Cuerco Marquez, legatus extraordinarius atque

(1) *De Revel. can. III.*

administer cum omni potestate Columbianae rei publicae apud Apostolicam Sedem: Augustinus Marre, episcopus Costantien., Abas generalis monachorum Cisterciensium Reformatorum; Eugenius Meyer, Praepositus generalis Missionariorum SS. Cordis Iesu, cum consilio Congregationis sua; Josephus Aversa, episcopus Sardian., legatus Apostolicus ad civitates Cubanam et Portoricensem; Sebastianus Nicotra, Apostolicae legationis Vindobonae auditor; Thomas Rodriguez, Prior generalis Ord. Eremitarum S. Augustini cum consilio Ordinis sui; Aristides Leonori eques; sollemni ritu legatio ab Aethioporum Caesare ad Summum Pontificem missa; Emmanuel M. Polit, episcopus electus Conchen. in Indiis; Nicolaus Szecsen de Temerin, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Austrorum Hungarorumque apud Apostolicam Sedem.

Pontificiae electiones.

Benedictus Oietti e S. L., Aloisius a Taggia Ord. Minorum S. Francisci Capulatorum, Claudius Benedetti Congregationis SS. R. inter iudices S. Congregationis de Propaganda fide pro rebus Orientalibus adsciscuntur.

— Iulius Guidobaldi inter Protonotarios Apostolicos ad instar participantium refertur.

— Guido Maria Conforti, archiepiscopus Stauropolitanus, coadiutor delegatur eximi episcopi Parmensis.

— Iacobus Della Chiesa, Secretariae Status substitutus, archiepiscopus Bononiensis dicitur.

— Leonidas Mapelli, in oppido Sesto-Calende dioec. Mediolanensis praepositus, episcopus Burgi S. Donnini eligitur.

Vita functi viri clariores.

Die IX mens. Octobris, Romae, ex eius vir **Iosephus Magno**, olim Apostolicae legationis Vindobonensis auditor.

— d. xv, Romae pariter, ex eius vir **Andreas Steinhuber** S. I., Utzlau in Bavaria natus an. M DCCC XXV, in Sacrum senatum cooptatus an. M DCCC XCIV, S. Congregationis Indicis praefectus.

ANNALES

Haganus de pace conventus alter.

Haganus de pace conventus alter, die XVIII huius mensis Octobris, finem tandem laboribus imposuit, eiusque declarationes enunciantur prout sequitur:

a) Conventio ad conflictus inter varias nationes ortos pacifice ordinandos;

b) Conventio circa debita recuperanda ex contractibus orta;

c) Conventio de actunum hostilium initio;

d) Conventio de legibus et moribus belli terrestris;

e) Conventio de iuribus et debitis nationum et personarum neutri parti faventium in bellis terrestribus;

f) Conventio de regimine navium ad commercia adhibitaram ad unam vel alteram belantium partem pertinentium, dum bellum inchoatur;

g) Conventio de mercatoriarum navium commutatione in bellicas;

h) Conventio de torpedinibus subaqueis automaticis in mari non ubique collocandis;

i) Conventio de locis a quavis classi fulmineis tormentis oppugnandis;

k) Conventio de principiis Genevensis conventus pugnis navalibus aptandis;

- l) Conventio de iure comprehensionis in bellis reprimendo;
 m) Conventio de coetu praedarum inter variis populos constituendo;
 n) Conventio de iuribus et debitis a nationibus neutri bellantium parti furentibus in bello maritimo.

Declaravit insuper esse interdicendum quoniam ab aerostatis fulminea tormenta eiementur; arbitratum esse ex obligatione iniungendum; pluraque vota emisit, quae brevitas causa omittimus. Ex quibus facile colligitur, Haganos legatos si quid ad belli horrores leniens sint assequunti, certe generalem quaestionem de pace deque arbitratibus nullum gradum ultra tulisse.

Mauritana res.

Mauritanas res quasi per menstrua diaria enunciantibus – (non enim certi quidquam aut aperti plane videmus) – primum nobis occurrit Gallici administrari Regnault, Rabat in urbe, receptio, in qua Abd-El-Azis Caesaris gubernium eum certiorem fecit, se fidum Algecirano foederi mansurum, atque publicum ordinem omni opera servaturum; nihil vero aperuit circa Mauritani regis consilia contra Muley-Afid fratre et aemulum, deque internis civitatis perturbationibus. In Gallicam manum impetus inter Udjda et Lalla Marnia oppida, quem deinde Arabes pertentarunt, procul dubio fanatico furori tribuendus est ob eventus bellicos ad Atlanticum mare, neque maioris momenti habendus. Contra, andax aggressio in Gallicas acies, castra ad Taddert facientes, unde milites nonnulli mortem et vulnera passi sunt, si quidem aggressores ex primo Muley-Afid agmine erant, huiusc viri sortem iri definitum indigitabit: is enim, Mogador oppidum relinquens, aut re evincet satis virium sibi esse ad resistendum, aut fratris substitutioni esse renuendum, quum etiam viderit legatos a se per Europam missos nullib[us] esse receptos neque coram gubernantes admissos.

Turcarum Persarumque contentiones.

Turcarum pariter Persarumque inter se contentionibus finis adhuc nullus impositus. Nunquias enim novae Persarum terrarum occupationes a Turcicis agminibus factae inter Tabris et Urmia. Quorsum advenietur, si Constantinopoli ultra negabitur iussa esse de re emissas, dum nihil providetur ut desinant?

Austrorum Hungarorumque trepidationes.

Austrorum Hungarorumque, quin etiam totius orbis, animi anxi quidem ac trepidi his diebus fuere de augusti senis Francisci Iosephi Imperatoris valetudine; eoque magis quod fama manaverit magnum illum ducem, qui regni haeres est, gravissimo et ipsum morbo labore. Faustis vero auspiciis periculum omne nunc etiam videtur longe depulsum.

Ex inferiore America.

Ut tandem aliquando novi quidquam ex inferiore America comperiremus, Argentina

civitas certiores nos fecit, Corrientes provinciam civili bello agitari; Honduras autem et S. Salvatoris civitates novis aemulationibus graviter inter se contendere.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Austria compromissum cum Hungaria late admissum; Czechorum tamen factio acerrime obstat. Itaque factum est ut eorum administri Forscht et Pacak a suis muniberibus recesserint.

In Bavaria novus coetus congregatus, cuius plerique legati catholicae parti furent. Rationes accepti et expensi in disceptationem vocatae floridam regni vitam patefecerunt.

In Dania de regni praesidiis augendis disceptatur.

In Germania rerum ad exterios administer Tschirschky a munere abdicavit. Schoen doctor, Petropoli Germanorum legatus, ei est suffectus.

In Hispania coetus sessiones placide resumptae.

In Hungaria administrari declararunt se ex ipsa Imperatoris voluntate proxime novam legem de universalis iure suffragii exhibitueros. Compromissum cum altera regni parte iri a plerisque acceptum appetit, quamquam a nonnullis acriter et ibi oppugnat.

In Serbia Skupcinae quam dicunt sessions prorogatae.

PER ORBEM

Die XXI mens. Septembri MDCCCVII in ferrifodinis apud Neo-eboracum cavea decem et septem cunicularios continens, ex altitudine DCC pedum in barathrum praecepit. Ex misericordia opificibus quatuordecim malo fato occumbunt.

— d. XXII in Genuensi portu ditissima vettoria navis *Principessa Iolanda* dum in mare primum immittitur, improvisa machinarum labore, fluctibus obruitur.

— d. XXV in Hispania Guadalmedina flumen super ripas effusum Malacae urbis vicos quatuor submergit.

— d. XXVI Parmae monumentum Victorio Bottego, audaci illi terrarum exploratori, sollemnem ritu dicatur.

Mainau, Badensis magnus dux cursum vitae absolvit.

— d. XXIX Caprarolae, in oppido Romanae provinciae, ac deinde in eius patria domo, Vignola, Iacobi Barozzi, architecti inter omnes celeberrimi, centenaria sollemnia celebrantur.

Die I mensis Octobris Rodigii obit Caietanus Oliva, antiquitatis et scriptorum veterum peritissimus.

— d. III Siamensis rex Romam visitaturus advenit.

Ex Russica provincia Cernicoff gravis colonorum sedatio nunciatur.

— d. VIII Bulgarorum praedatorum manus graecum oppidum Negovani ferro et igni vastat.

— d. IX in Russia curruum series vapore actorum ad Yourieff-Walk a latronibus invaditur, qui viatores tres interficiunt.

— d. X Mediolani in dementium nosocomio moritur Romualdus Marenco, musices magister et chorearum auctor notissimus.

Ad Budam, Hungaricam urbem, ferriviarum conflictus accidit, unde viatores quinque permuntur, plures vulnerantur.

— d. XI Mediolani, ob vim in operarios seditosos adhibitam, opifices omnes ex condito a suis laboribus recedunt. Publici ordinis turbatio fit.

— d. XII similia Bononiae, ac deinde Augustae Taurinorum renovantur.

Athenis vita fungitur Adulphus Furtwaengler, scientia antiquitatis, quae ad veterum artis monumenta spectat, nostris diebus facile princeps.

— d. XIII Georgius, Graecorum princeps regulus, fundamenta iacit novae urbis Anchiali.

— d. XIV in Hispania nova damna ex fluminum inundationibus lugentur.

— d. XVI Fontanet, in urbe Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis, opificium ad pyrogranum conficiendam improviso incenditur, aedificia circum ad mille passus diripiens, atrocemque mortem multis procurans.

— d. XVIII Liger flumen alveum excedit sata laeta per cursum omnino subvertens.

— d. XIX Haganus de pace conventus alter absolvitur.

AENIGMATA

Est pulerum roseis pueris tenerisque puellis,
 est tibi dum te ornant lilia teque rosae.
 Cui nova multiplici adiicitur si litera forma,
 Proteus tam varias non habet ipse vices.
 B madet aurora, B vespere lacte papillas;
 hoc abit et phthisis, hoc, balbe puelle, bibe.
 C novat et lapidem et nigram robigine falcem;
 illa etiam Aegaei est insula pulera maris.
 D magis uxore o quotiens est cara marito!
 Tu tamen absque illa, nostra puella, places.

M, qui forte tibi est vel primo in limine vitae,
 nec, te cum turpat, languida ruga perit.
 Candide R, caeli sedet alba in vertice luna;
 quas serui exili in vimine tinge rosas.
 V nunquam audivi qui sit, qua natus in urbe:
 vos qui legitis dicite, amabo mihi.

I. B. PESENTI.

Ex sociis, qui totius aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

THOMAE VALLAURI
DE RE EPIGRAPHICA
ACROASIS.

Aenigmata an. X, n. VIII proposita his respondent:

1) Pala, Palla, Palea, Palma;

2) Cor-sica.

Ea rite soluta miserunt:

Henr. Tarallo; Vinc. Starace, *Neapoli*. — Alois. Cappelli,
Senis. — C. Leclerc, *Monteregati in Canada*. — B. Michalski,
 ex *Polonta*. — Merky ch, *Bellemagny*. — Aug. Roberge,
Chicotino in Canada. — Rich. Müller, *Berolino*. — Petrus
 Tergestinus. — Gregorius Cleary, *Roma*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Ioan. Rappel, *Aureliano*. — F. Guerra, *Aletio*. —
 Rich. Brondel, *Brugis*. — I. Ortiz, *Moretia*. — Fr. Bonaventura,
Aterno. — Rich. Lefebvre, *Parisiis*.

Sortitus est praemium:

F. ARNORI,

ad quem missum est PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

LOLLIUS

SIVE DE PROVECTA LATINITATE.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Pacis*, Phil. Ouggiani.

TARCISIUS

Actio dramatica I. B. FRANCESIA

versibus senariis conscripta

*Tarcisium sanctum Christi sacramenta gerentem
Cum male sacra manus peteret vulgare profanis,
Ipse animum potius voluit dimittere caesus,
Prodere quam canibus rabidis caelestia membra.*

S. DAMASUS.

OMNIS REI ARGUMENTUM.

Constat inter omnes, saeviente Diocletiano imperatore in Christianos, multos huius doctrinae alumnos in carcerem detrusos, multos ad bestias aliaque tormenta damnatos, praeclarum dedisse constantiae specimen. In his nonnulli, ut se a persecutoris manibus per aliquod tempus eriperent, in hypogaea secedebant, ubi vocibus atque exemplo sanctissimi Dionysii Pont. Max. ad futura et maiora pro Christo certamina se parabant. Dionysius, qui parentis partes optime gerebat, illuc summopere spectabat, ut sapientiae christianae discipuli, in tam gravi rerum discriminis periclitantes, vel ultima pati se pararent, et ut, qui iam ad religionis testimonium in custodia tenebantur, ultimo Christianorum solatio recrearentur.

Quo nomine identidem certos quosdam homines ad captivos mittebat, ut prae ceteris, datis sanctae redemptionis monitis, Corpus Christi iis deferrent, et novissima animi documenta eorumque responsa acciperent.

Utrum vero hoc Tarcisius martyrium inter historicas narrationes, an inter fabulosas sit recensendum, disputant gravissimi iudicii viri. Eius tamen nomen, suavi quadam mentis voluptate per fossorem in lapide insculptum e rudibus defossum apparuit prima saeculi parte nuper elapsi, cum versibus egregie a sancto Damaso Pontifice compositis.

Aetate vero nostra Carolus Wiseman, purpuratus vir, inter Anglos de nomine Christiano in primis optime meritus, in libro, qui inscribitur *Fabiola*, omnibus sermonis ornamentis splendescente, eius martyrium in vulgus editum omnibus maxime commendavit.

Hoc drama, magnum referens testimonium in honorem Corporis Sanctissimi Iesu Christi, inscriptum velim Taurinensisibus, qui recens maiores apparatu ac mira civium advenarumque frequentia, memoriam egerunt insignis illius miraculi, quod in media urbe, ad meridiem, sic Dei voluntate disponente, factum est an. MCDLIII. Sic pro viribus exornare videbor et litteris portentum, quo factum est ut Augusta Taurinorum, prae ceteris urbibus, iure meritoque appellaretur: *Civitas Sanctissimi Sacramenti!*

Quid enim optatis, quidve carius, quam niti ut egregium munus, ex quo coniici potest magna Dei in nos caritas, semper sit Subalpinis iucundissimum? Ut vero

Hac casti maneant in religione nepotes;
etiam atque etiam rogo a Superis atque desidero. Cunctis quoque coetibus dicatam hanc *actionem* volo, qui nunc, sic ferentibus annis, et apud Italos, vel apud exteras gentes passim flunt, ut Christus vehementiore adoratione colatur, atque ab insanis improborum calumniis vindicetur. Lector amice, vale.

DRAMATIS PERSONAE.

TARCISIUS, puer duodecim annos natus.	IANUS, eius consiliarius.
CHRYSANTIUS, senex et patricius.	FULVIUS, Christianorum inse-ctator.
DIOCLETIANUS, Romanorum im-perator.	CAMILLUS, comes Fulvii.
CIVES — PUERI.	

PROLOGUS.⁽¹⁾

Identidem iuvat, spectatores optimi,
Latinis etiam recreari litteris,
Quas humaniores vocabant veteres.
Enim quid aptius nostris temporibus
Cum nos prognatos autumant a belluis!
Nisi nos falsa fallit hic sententia
Hos ad meliorem frugem reducimus;
Modo sapientiae tramites si sequimur,
Quam nobis Optimus Magister tradidit.
Valet quidem Cicero, valet Vergilius,
Suisque tollitur Catullus versibus;

(1) Erit prologus ipse Tarcisius.

Et ille laudat omnis quem latinitas,
Super sed illos volitet ut aquila,
Suos qui castos versus circumvolat
Lenis dulcisque relligionis spiritus!
Hac noster ductus vates dulcedine
Novam Tarcisi fabulam composuit.
Vos me insipientes admiratus video: (1)
«Cur ipse tollis laudibus Tarcisium
Sies cum Tarcisius? Non istud decet;
Laudantis laudes in infamiam decidunt».
— Modo sed ipse nominor Tarcisius,
Eius personam ago; vobis indulgentia....
Ut essem, vitam darem lubentissime.
Post scenas redigor pauper in pulverem;
Redibo Prologus, spectatores optimi!
Puer Tarcisius sanctis est moribus,
Cui floret aetas pulcris cum divitiis,
Deoque totus ore, corde, labiis
Defert mysterium fidens martyribus,
Qui tenerentur horrida custodia.
Quot ipse sustulit probra flagitia!
Fortiter cuncta Tarcisius sustinet.—
Lis poeta comoediam dedicat
Taurini nuper magna qui frequentia
Vicatim Christum coluere splendide.
Quot flores circum, thura quot flammantia!
Viretque rara civium devotio!
Et illis dedico piis sodalibus,
Decet nam magnis hos efferre laudibus,
Quis est cura Sacramentum colere!
Abest hinc omnis sannis (2) et securitas:
Ad fabulam aures lepidas nunc advortite,
Et nobis plausibus spiritus addite.

ACTIO.

Actio est in foro apud theatrum Vespasiani. Magna hominum turba simul colloquentium introque insipientium, sunt christiani, sunt idolorum cultores, qui varios inter se sermones serunt, atque ex ingenio diversa promunt.

SCENA I.

CIVES.

- I CIVIS. (3) Aiunt christianos duci ad supplicium.
II CIVIS. Ita est!
III CIVIS. Sunt multi qui detrusi in carcerem
Exspectant.
I C. Enim quid machinantur pessimi?
II C. Reapse nescio!
III C. Caesar sic imperat!
Scit ipse!...
II C. Recte plecti caput perfidum!
(Ad proximum numerum).

(1) Vocem spectatorum simulans.
(2) Ab sanna, quod verbum facetiam significat et argutiam.
Hinc fortasse quod Subalpini dicebant una zanada.
(3) Civi introeunti.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCVII.

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80;
ubique extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5;
Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIS CONSTITUTA:

Ex subnotatoribus quisque KALENDARIO a *Voce Urbis*
expresse edito fruetur.

Qui socios novos comparaverit duos premiumque eorum
subnotationis mi-
serit, subnotationem gratis omnino sibi habebit.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium
mensem – bi-
bliopolis exceptis – dimidiatum premium itineris habebit a quovis Europae
loco ubi vivat Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti
vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra,
eodem iti-
nere gratis omnino fruetur.

Kalendis Ianuariis MDCCCCVII "cumulativa", subnotatio instituta est
inter comm. *Vox Urbis* et Romanum diarium *Corriere d'Italia*.

Ven. in Italia lib. 18; apud exteras gentes lib. 34,50.